



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

Sectio Qvarta. De proprio ritu singularum Horarum Canonicarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

habeat integras Vesperas; negauimus supra cap. 8. num. 23. pag. 33.

22 Quomodo separandus sit Patronus à socijs quos habet in Calendario; & quo ritu sit de socijs Officiū faciendum, ostendimus supra cap. 10. num. 11. & seqq. pag. 27.

23 In Vigilia Patroni, quæ habet Officiū in Calendario, erit ea die omittenda commemoratio de Patrono, quæ solet fieri inter Suffragia, ne de eodem fiat Officiū & commemoratio; quæ est indubitata regula in Officio diuino. Vide infra Sect. 5. cap. 18.

24 Quæ diximus de Patrono principali loci, eadem conueniunt Fundatori & Patrono Ordinis in toto Ordine post solemnem Canonizationem eiusdem.

25 Negamus autem illud, quod non-nemo scripsit, nimirum, quod infra Octauam Patroni, seu Tituli, seu Dedicationis propriæ Ecclesiæ, debeat fieri commemoratio de Octaua, quocumque adueniente Festo; quia gratia dicitur, & est privilegium Octauarum Natiuitatis, Epiphaniæ, & Corporis Christi tantum.

SECTIO QVARTA.

De proprio ritu singularum Horarum Canonicarum.

POST Regulas generales totius Officij, veniendum est ad Regulas singularum Officij partium, hoc est Horarum, quo ritu quæque sit recitanda.

SECTIONIS QVARTÆ CAPITA SEX.

- | | |
|----------------|------------------------------------|
| 1 De Matutino. | 4 De Horis, Tertia, Sexta, & Nona. |
| 2 De Laudibus. | 5 De Vesperis. |
| 3 De Prima. | 6 De Completorio. |

De Matutino.

C A P. I.

Matutinum est vox antiqua, in Conc. Cabilon. II. Deducitur à Matuta, id est aurora. Sunt autem apud Auctores hæc synonyma pro eodem, Nocturni, Vigiliæ nocturnæ & Matuti-

num, de quo hic loquimur, vt est à Laudibus distinctum; nam alioquin supra diximus Sect. 1. cap. 3. pag. 2. constituere vnam horam cum Laudibus. S. Isidorus 6. Etymol. cap. ult. deducit Matutinum à stella matutina lucifero, quæ oritur inchoante mane inter noctem & diem; vt hinc ediscas, si media nocte cum antiquioribus illud

G lud

lud non recites, in aurora saltem recites. Sed de tempore Matutini recitandi vide supra Sect. 1. cap. 5. tit. 6. pag. 9. A dijs manibus, qui restitunt lucem, dici Matutinum, scripsit *Auctor Gemma anima lib. 2. cap. 31.* sed quid luctad tenebras? omittamus profana.

2 Primus vsus Matutini Officij in Bethlehem fuit, ex *Castiano cit. à S. Isid. lib. 1. de Eccles. Off. cap. 23.* nisi de Officio Primæ sit ille explicandus, vt putat verius *Francol. 1. par. cap. 14.* congrueret autem, si illud verum esset, vt à loco Natiuitatis Christi exordium sumpsisset Ecclesia laudum Dei. ibi enim Angeli cecinere Deo, & Pastores laudantes benedixerunt Dominum.

3 Ordo Matutini per se patet in Rubrica de Matutino cap. 13. De cuius partibus, ex quibus componitur, dicemus Sectione sequenti.

4 Forma ipsa Matutini vestigium habet non obscurum apud Apostolum 1. Cor. 4. vt notat *Baronius anno 57.* ait enim: *Cum conuenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam, Apocalypsim, linguam, interpretationem.* Et verè in Matutino habemus Psalmos, Lectiones pro doctrina, Responsorialia pro Apocalypsi, id est reuelatione, Euangelium pro lingua, Homiliam pro interpretatione: illi voce hæc habebant, voce primorum discipulorum, nos scripto sacrorum Auctorum, & SS. Patrum. Addit ibidem Paulus: *Spiritus Prophetarum subiectus sit Prophetis.* quo quid aliud significatur quam ritus ille Matutini, quo Lector petit benedictionem à maiore, cui se subijcit, antequam legat? *Hæc Baronius.*

5 Nouem Psalmi in Duplicibus &

Semiduplicibus dicuntur, ex *Amal. lib. 4. cap. 35.* in Dominicis decem & octo, ex eodem cap. 9. vbi & distinguit primos duodecim inter quater-nos, vt hodie fit; & dicebantur cum *Gloria Patri* in fine singulorum, non apud omnes, vt hodie, *Dur. in Rat. lib. 5. cap. 3.* In Ferijs & Festis Simplicibus Nocturnum dicitur duodecim Psalmorum. *Gregorius VII. de Consecr. Dist. 5. In die.* iubet ex antiquo more duodecim Psalmos & Lectiones tres quotidie dici, exceptis Festis.

6 Antiphonæ in Festis dicuntur nouem; in Ferijs & Simplicibus tempore Paschali in Festis tres, vna pro quolibet Nocturno; in Ferijs vna, communis duodecim Psalmis.

7 Absolutiones, Benedictiones, Lectiones, Responsorialia, plura in Festis, pauciora in Ferijs, & Hymnus *Te Deum*, in Sectione sequenti suis locis enodabuntur. Mystica nunc dicamus.

8 Initio sumpto ab Oratione Dominica, à Salutatione B. Mariæ Angelica, & à professione fidei ab Apostolis tradita, clara voce petitur apertio laboriorum & diuinum adiutorium cum signo Crucis aptissimo ante omnia actum, & cum *Gloria* sanctissimæ Trinitatis & vnitatis laude per *Aleluia*, *Dur. loc. cit.* Inuitantur omnes ad diuinas laudes, quarum prima cum iubilo per Hymnum canitur, ad fugandum noctis torporem, ait *Hugo lib. 2. de Off. cap. 8.*

9 Adduntur Nocturni tres in Festis ad ratam primarum trium noctis vigiliarum, quas antiqui obseruabant, ex *Hieron. Epist. 22. ad Eustochium*, ijs verbis, Noctibus bis terve surgendum: quidquid neget *Azor. cap. 1. quæst. 2.* non reperiri, quod antiqui

tus distinctis horis noctis Nocturni cantarentur; & affirmant tamen multi ab eodem citati, Amalarius de Ord. Antiphonary, & Isid. lib. 1. de Off. Eccl. cap. 19. Laudes autem quartæ Vigiliæ reseruabantur. Hodie non diuiduntur Nocturni, stante consuetudine vim legis habente? & significatur vna Ecclesia iustorum omnium, eorum qui ante legem, sub lege, post legem, ex Amal. lib. 4. cap. 9. ideoque in tertio Nocturno legitur Euangelium tempori gratiæ congruum, inquit Gemma lib. 2. cap. 14.

10 Nouem autem Psalmis gratias agimus Deo de descensu eiusdem propter nos, & ad nos sub nouem Choris Angelorum, in Festis nimirum Domini: at in Festis Sanctorum, eò quòd digni facti sunt illi ascendere usque ad altitudinem cæli, in quo habitât ijdem Chori Angelici. Hæc Amal. fusè de Ordine Antiph. Vel ter tria cãtamus cum Angelis, ait Dur. loco cit.

11 Decem & octo Psalmi Dominicales ita distribuuntur, vt primi duodecim per quaternos diuisi significant Patriarcharum duodecim & Apostolorum totidem cultum erga S. Trinitatem, per quatuor virtutes Cardinales, Amal. loco cit. Reliqui tres in secundo & tertio Nocturno significant electos sub lege, & sub gratia, cum eodem cultu S. Trinitatis, idem ibidem.

12 Duodecim verò Psalmi feriales ea ratione sunt constituti, quia duodecim sunt horæ noctis, & cuilibet horæ Psalmus respondet, Amal. cap. 11 qui dicuntur bini ad charitatem excitandam, ex Hugon. Viç. Spec. Eccles. cap. 3.

13 Verus, quo vertimur ad Deum, renouat intencionem debitam in Of-

ficio, Amal. loco cit. Oratioque Dominica dicitur, vt postulemus à Deo sapientiam & intellectum doctrinæ, vt docuit ex Iacobo cap. 1. Dur. lib. 5. c. 2. alitè recitato Versu, *Et ne nos, &c.* & communiter (reliquum secretò, & singillatim) propter Sanctorum Communionem, inquit Hugo Spec. cap. 3. & eadem de causa fit Absolutio, vt simus capaciores doctrinæ salutaris.

14 Lectiones namque doctrinam continent; quæ ternæ sunt, in honorem Trinitatis, à qua docemur, Hugo 2. de Offic. cap. 9. in Festis nouem eæ sunt, quæ ex Amal. loco cit. coniungunt nos doctrinæ & conuersationi nouem ordinum Angelicorum; sicut & gaudijs ipsorum coniungunt nos nouem quæ sequuntur Responsorialia, idem. Vel Responsorialia post doctrinam excitant nos ad opera, vnde ad ea surgimus, idem de Ord. Antiph. c. 1. & 4.

15 Et quia tempore gratiæ lætitiæ locus est magis quàm in alijs statibus ante legem, & sub lege, ideo in fine tertij Nocturni, si dicendus est, cantatur Hymnus *Te Deum*. Fusius Hugo Victorin. Spec. Eccl. loco citato. & singillatim hæc habes infra Sectione seq.

De Laudibus.

CAP. I I.

1. **L**audes dictæ sunt, ex Hug. lib. 2. de Off. cap. 10. eò quòd laudem aperte sonant diuinam, quod repetit in Spec. Eccles. c. 3. Matutinale Officium appellatur ab Amalar. lib. 4. cap. 10. Matutinum quoque dicuntur in Rubrica de Precibus num. 5. quia sunt pars Matutini Officij, & ideo non finitur Matutinum separatim à Laudibus cum

G 2 Oratione,

Oratione, neque cum *Benedicamus Domino*, vt notauit Hugo *lib. 2. de Off. cap. 2. & 9.* Amalar. autem in *Prologo de Ord. Antiph.* testatur de consuetudine Romana, quòd Laudes Matutino statim iungantur.

2 Obijcies, initium sumi à *Deus in adiutorium*, quod est initium Horarum singularum; ergo est Hora à Nocturnis distincta. Respondeo, nihil obesse; sed initium illud datum esse, vt possit ex causa diuidi Matutinum à Laudibus.

3 Queritur inter Auctores de Ritibus, an Hymnus *Te Deum laudamus* sit finis Nocturnorum, an verò initium Laudum. Innoc. III. *de Celebrat. Miss. cap. Consilium.* videtur sentire, quòd ad Laudes spectet Matutinas. Opinio communior, Microl. *cap. 34.* & Hug. *Spec. Eccl. cap. 3.* & ex praxi in nocte Natalis Domini, Hymnum *Te Deum* esse finem Matutini. Innocentius autem pro Laudibus Matutinis intelligit totum Matutinum ex Nocturnis & Laudibus conflatum, vt ait Nau. *de Orat. cap. 3. num. 64.* Quare, si diuidas à Nocturnis Laudes, hic erit ritus, vt termines Nocturnos cum Oratione post *Te Deum*, & cum *Benedicamus Domino*, absque commemorationibus, & submissa voce Orationem addas Dominicam; incipias deinde Laudes à *Deus in adiutorium.* ita Francolinus *par. 1. cap. 27. num. 18.* cum Nauar. *loco cit.* & ita fit in Natali Domini.

4 Querunt item, An diuidenti Laudes à Nocturnis, pramittendum sit ante Laudes *Pater noster* cum *Aue Maria.* Affirmat Nauar. *loco citato*, quia putat esse octo horas, & Laudes esse distinctam horam. Francolinus *cap. 28. num. 2.* licet sentiat, esse tan-

tum septem horas; consentit tamen Nauarro ob eam Rubricam Breuiarij, qua iubentur ea dici ante omnes horas, praterquam ad Completorium. Sed hæc ratio est contra ipsam Francolinum, qui non distinguit Laudes vt horam ab alijs; non ergo necesse. Et in nocte Natiuitatis Domini nihil dicere iubemur, sed absolute Laudes incipimus, vt indicatur in Breuiario in proprio loco. Possent tamen responderi adhuc, quòd hæc Laudes vniuntur Missæ; & ideo libenter sequor Auctores prædictos.

5 Ordo Laudum patet in sua Rubrica: sunt enim pares Vesperis, et Concil. Bracaren. *Dist. 12. cap. Alium,* & Agathen. *de Consec. Dist. 5. Conuincit.* in vtrisque; Psalmi quinque, Capitulum, Hymnus, Canticum Evangelicum, Oratio, Commemor. Differunt ab alijs Horis minoribus in pluralitate precum; quia manè & Vespere holocaustum offerebatur à Iudeis, cui successere apud nos holocausta Matutinarum Laudum & Vesperinarum, ex Ruper. *lib. 1. cap. 6.* & cum aliæ minores Horæ septem quali partibus consent, vt notauimus ex eodem Ruper. *Sect. 1. cap. 3. numero 6.* Vesperæ & Laudes, addito Cantico, constant ex partibus octo, quæ ad beatitudinem spectant, *idem loco cit.*

6 *Deus in adiutorium*, &c. meminit hoc loco Amal. in *Prologo de Ord. Antiph.* Psalmi quinque ex eodem sunt, ad muniendos quinque corporis sensus, ait Hugo in *Specul. Eccl. c. 3.* qui notat prater eam, eos esse octo vere, ad significandos octo ordines electorum; sed dicuntur quinque, quia tertius & quartus sub vna conclusione terminantur, ad denotandum, ex Amalar. *de Ord. Antiph. p. 5. gemina*

nam dilectionem, Dei & proximi; vel, ex eodem *lib. 4. de Din. Offic. cap. 10.* vnionem Ecclesie ex Iudæis & Gentibus. tertius autem est in vsu matutino, ex *Constit. Apost. lib. 2. cap. 6*; sextus item, septimus & octauus vniam habent conclusionem, ad significandum; ex *Amalar. deo. cit. cap. 2.* Fidem, Spem & Charitatem vnitas & iunctas erga Deum (inquit *cap. 5.*) xtrinum & vnum; vel significant, ex eodem *lib. 4. de Off. cap. 10.* vnionem Ecclesie ex Asia, Africa & Europa ad diuinas laudes; *omnis enim spiritus laudet Dominum*, dicitur in eorum fine. Vnde factum est, vt hi Psalmi quodidie dicantur in Laudibus, neque vnquam omittantur, ex eodem *Amalar. cap. 12.*

7 Dixi, *Psalmos esse quinque*: nam licet quattuor sit propterea Canticum, abusuè Psalmus appellatur; & suo loco videbimus parum differre Canticum à Psalmo.

8 Dicuntur autem semper in Festis iisdem & in Ferijs Paschalibus, ex *Microl. cap. 54.* quia resonant lætitiā & Resurrectionem gloriosam in octonario eorum numero. In Festis quoque trium Lectionum eisdem dici, tradit *Radalph. Propos. 10.*

9 Duo ex his mutantur in Dominicis à Septuagesima vsque ad Dominicam Palmarum inclusiuè; vice quorum dicimus Psalmos *Miserere & Confitemini*, ad timorem & spem eo tempore excitandam; timorem, ob peccata in primo; spem, ex bonitate Dei in altero. Hæc *Amal. lib. 4. de Off. cap. 18.* & quia non est tempus lætitiæ, quam exprimunt ij duo Psalmi, *Dominus regnauit, & Iubilate*. Sed dices: Cur deinde dicitur alter eorum in Prima? Respondeo, Ne in tota

Hebdomada feriali omittatur Psalmus vllus de Psalterio: alter autem locum habet in Nocturno Sabbati. & hæc ad litteram.

10 In feriali Officio per annum primus Psalmus est penitentialis, *Miserere*, quia dies feriales sunt penitentiae, inquit *Hugo 2. de Offic. c. 10.* secundus variatur, vt expleatur Psalterium: sed in qualibet Feria reperies in secundo Psalmo mentionem fieri matutini temporis; vt videantur magis proprij ad rem; & idè eo loco sunt positi, vt notat *Amalar. de Ordine Antiphonary capite 5.* nam dicimus in Feria secunda, *Manè exaudies vocem meam*; Feria tertia, *Emitte lucem tuam*; Feria quarta, *Exitus Matutini*; Feria quinta, *Manè sicut herba*; & *Repleti sumus manè*; Feria sexta, *Auditam fac mihi manè*; Sabbato, *Ad annuntian- dum manè misericordiam tuam*: sed præterea titulus huius Psalmi est, *In die Sabbati*.

11 Cantica verò fuere distributa per Hebdomadam, ita vt in Dominicis & Festis, *Trium puerorum*, quod est nobilius, cantaretur; in Sabbato Canticum Moysis in fine vitæ ab eodem compositum, & prope Terram promissionis, id est quietis, significatæ in Sabbato. qua de re *Beda lib. 2. tract. in Lucam*. Alia Cantica non sine mysterijs fuere alijs diebus assignata; satis tamen ad libitum ea, Durando explicante *lib. 5. cap. 4.* desumpta ad verbum explicatione ab *Amalar. lib. 4. de Off. cap. 12. & seqq.* Certè illud Feriæ sextæ, vbi legitur, *Cor- nua in manibus eius*, de Cruce intelligitur, & quadrat Feriæ sextæ, ex *Gemma lib. 2. cap. 53.* Plura de Canticis *Sett. sequenti.*

12 De Antiphonis, Capitulo, Hymno, Versu, Antiph. Cantici, Cantico, & Orat. infra suis locis. Hymni non meminit Amalar. meminit Hugo in *Spec. Eccles. cap. 3.* ad excitandam mentem pro intelligentia proximi Cantici Evangelici, inquit *idem lib. 2. de Off. cap. 8.* Versus dicitur ante Canticum, vt magis attenti simus ad verba Cantici, Amalar. *lib. 4. cap. 45.* vel, vt excitemur ad credendum ea quæ promittuntur in Cantico, Dur. *lib. 5. cap. 4.*

13 Cur autem primo loco Canticum *Benedictus* in Officio dicitur, cum non fuerit in Euangelio Canticum primum? An quia à Vesperis inchoatur Officium, in quibus primum cantatur Canticum? An quia, vt ait Duran. *loco cit.* Zacharias loquitur cum Ioanne, qui est Aurora ante Christum Solem? & in aurora quidem Laudes dicuntur magis congruè. An quia de lumine fit mentio, *Illuminare his*, &c. quod est Matutinæ horæ proprium? De Oratione post Canticum omnes meminere Auctores. De Precibus, Suffragijs, Fine, Antiphonis finalibus in suis Capitibus *Sectione sequenti* cum reliquis agemus.

De Prima.

C A P. I I I.

Primæ vocabulum ad rem nostram vsurpatur in Regula sancti Benedicti *cap. 16.* & in Conc. Cabilonenfi II. Res ipsa est antiquior, tempore Cassiani expressè cæpta, de qua ipse *lib. 3. Instit. monast. cap. 4.* cuius vestigium potius, quam res ipsa tota, videtur haberi apud Athanas. *lib. de Virginit. Sol,*

inquit, exoriens videat librum in manu tua, id est Psalterium; & loquitur de prece post Laudes, quæ ante Solis ortum complebantur. Volunt, S. Clementè loqui de Prima, cum ait *lib. 8. Constit. cap. 34.* Precationes facite manè, Turrianus *ibi.* & Durand. *l. 3. de Ritib. cap. 7.* & Suar. *lib. 4. de Haris Can. cap. 5. num. 8.* Negant Radulph. *Proposit. 14.* qui expressè docet, Primam & Completorium non ante Cassianum fuisse, & Francoinus *1. par. capite 14. num. 6.*

2 Quidquid sit de origine, affines horæ sunt Prima & Completorium, sicuti Laudes & Vesperæ; nam vtroque Confessio. Quatuor Psalmi, Hymnus, Capitulum & Responsorium immobiliter dicuntur: Canticum quoque Simeonis est immobile, cui respondet Symbolum sancti Athanasij in Dominicis immobile. Quæ omnia apta sunt initio diei & noctis, vt armemur cõtra hostes diurnos & nocturnos, ex Radulph. *loco cit.* Præclarè Ambrosius *Ser. 43. in Hexam. lib. 5. cap. 12.* de aibus loquens ait: Quis sensum hominis gerens, non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere & adorari, cum etiam aues suaui modulatione & dulci carmine ortus dierum ac noctium prosequantur? Hæc de Prima & Completorio simul.

3 Post ortum Solis Prima congruentius recitatur; tum ex origine apud Cassianum expressè; tum ex Hymno, *Iam lucis orto sidere*; tum ex Auctoribus pluribus citatis à Franco. *cap. 15. num. 14.* Primò, vt sicut ouibus, quæ noctu custodiantur in ouilibus inclusa, manè ad pascua exantibus adest opilio, qui eas dirigat, ducat, defendat à lupis; ita nobis primo diluculo

diluculo surgentibus, Sole oriente, adfit Dominus verus Pastor, Amalar. *lib. 3. cap. 2.* Deinde, vt ipso Solis ortu Solem iustitiæ nobis orientem postulemus, Raban. 2. *Instit. cap. 3.* Denique ex Ruper. *lib. 3. cap. 3. de Diuin. Offic.* prima hora diei quærendum primùm est regnum Dei; & primæ cogitationes Clericorum, tamquam quadam lucis primitiæ, Deo sunt offerendæ.

4 Ordo *Prima* patet in Rubricis. Apud Scriptores de diuinis Officijs sola mentio fit ante omnes Horas de Oracione Dominica, de qua etiam Breu. M. S. antiquiss. de Symbolo quoque Apostolorum apud Polyd. Virgil. *de Inuent. rer. l. 6. cap. 2.* Initium à *Deus in adiutorium* habetur ex Amal. *lib. 3. cap. 2.* cum *Gloria Patri.* de Hymno Amalar. non meminit, sed Hugo meminit in *Spec. Eccl. cap. 3.* Antiphonam nemo notat nisi Radul. *Prop. 14.* qui vnam & solam Antiphonam singulis Horis tribuit.

5 Psalmi in Dominicis quatuor, Gemma an. *lib. 2. cap. 58.* in Ferijs totidem, ex Durando *lib. 5. Rat. cap. 5.* Additi sunt alij, qui secundo loco ponuntur; qui ijdem dicebantur omnes ante Pium V. in Dominicis, ex Breu. M. S. & impressis: nunc distributi sunt per Feras, tamquam Psalmi olim assignati *Prime*: tum verò etiam ne de P'alterio quidquam supersit. Et in Dominica quidem dicitur Psalmus *Cōstremi*, quia in eo habetur Versus, qui est de Resurrectione Domini, quam significat dies Dominica: *Hæc dies, quam fecit Dominus*; &c. Psalmus assignatus *Feria 2.* habet pro titulo, *Prima Sabbati.* quare & conuenit dici saltem prope Dominicā. Fortè etiam Psalmus *Feria 5.* datus est, in

quo agitur de mensa, refectione, paucis; quia significant Eucharistiam *Feria 5.* institutam. Psalmus autem *Feria 6.* totus est de Passione Domini. Cùm autem nullus supersit Psalmus qui assignari queat Sabbato, in quo etiam sapius fit de B. Virgine, ideò Sabbato quatuor Psalmi numquam dicuntur. Quaternarius hic Psalmorum numerus denorat, quòd in quatuor mundi partibus doctrina quatuor Euangelistarum laudatur, Dur. *loc. cit.* Vnde statim

6 Subditur Symbolum S. Athanasij; quia doctrinæ Euangelicæ, quam significant quatuor Psalmi, fundamentum est Fides, *idem loco cit.* qui & addit, initio diei ideò recitari, quia Fides est initium salutis. Plura de hoc Symbolo in proprio capite.

7 Verùm in Festis Psalmi tres dicuntur tantùm, Radulph. *Prop. 10.* vt etiam toto tempore Palchali, ob temporis, inquit, incunditatem, quæ laborem multa canendi excludit. Amal. autem *lib. 3. cap. 2.* tres ideò dici putat, quia pro tribus horis, à Prima ad Tertiam, laudandus est Deus trinus, & armandi sumus contra tres hostes. Hugo in *Spec. cap. 3.* quinquenarium numerum in tribus Psalmis obseruat, ad muniendos quinque sensus. Gemma *lib. 2. cap. 58.* ad quinque partitam per Christi Vulnere passionem initio diei recolendam. Explicat Durandus Hugonem *loco citato*, quòd diuiduntur duo Psalmi, *Beati immaculati*, & *Retribuere*, in quatuor octonarios, qui sunt veluti quatuor Psalmi; & in Hebraeo textu apparet hæc in quatuor partes distinctio. Primus Psalmus, *Deus in nomine tuo*, &c. dicitur pro toto itinere & cursu diei contra hostes aptissimus; & Psalmus,

Beati

Beati immaculati, plenus est morali instructione. Hæc fusiùs Amalar. *de Ordin. Antiph. cap. 6.*

8 De Capitulo, quod Amalarius omittit scribere, scribit Hugo *libro 2. cap. 1.* & Lectionem vocat. De Responsorio breui, de quo idem Hago, nihil Amalarius: de Oracione, cuius Hugo meminit: de Precibus, quas Amalar. innuit: de Confessione, de qua Gemma *lib. 2. cap. 64.* de Martyrologio, de quo Gemma *libro 2. cap. 58.* de *Prenosa*, cum reliquis usque ad finem, de quibus Hugo *2. de Offic. cap. 2.* & Radulph. *Propos. 14.* distinctiùs & plenius *Sectione sequenti* disseremus.

9 Illud hoc loco notandum est, Oracionem illam, *Sancta Maria, & omnes Sancti*, &c. esse antiquissimam, & in Ordine Romano legi. Ter quoque dici, *Deus in adiutorium*, ut præsentia & præterita deleamus, & futura peccata caueamus, Hugo *loco citato*. vel, ut armemur contra diabolum, mundum & carnem in nomine Trinitatis, Durandus *lib. 5. cap. 5.* Nullum tamen ad hæc verba, *Deus in adiutorium*, formatur Crucis signum.

10 Absolutio item Capituli cum Lectione & Capitulo Nonæ sæpius concluditur; quia prædicta, quæ extra Primam existimantur esse, dicuntur à Regularibus in Capitulo, ex Gemma *lib. 2. cap. 58.* & ad Lectionem communem post Horam Primam conveniebant Monachi, ex Amalar. *de Ordine Antiph. cap. 7.* Vice cuius legitur hodie, (& hoc nomine vocatur in Breuiario) Lectio brevis. Idem Amalarius *lib. 4. de Offic. cap. 3.* putavit, additam fuisse in fine Lectionem hanc breuem pro Ca-

pitulo, quod post Psalmos Primam legebant antiqui.

11 Sed cur, quando Lectio brevis non habetur propria, sumenda est de Capitulo Nonæ? An, quia Capitulum Nonæ in Festis solet esse hinc Epistolæ quæ legitur in Missa? ut scilicet finis Epistolæ finem imponat Primæ Horæ.

12 Denique Prima & Completorium non variantur, sicut aliæ Horæ, in quibus Capitula, Responsoria, Versus, Oratio variantur; quia principium & finis operum nostrorum firmiter sunt tribuenda Deo, ait Hugo *lib. 2. de Off. cap. 1.*

De Horis, Tertia, Sexta,
& Nona.

CAP. IV.

HÆ tres Horæ notissimæ fuerunt Apostolorum tempore, ad preces Deo fundendas, ut supra docuimus *Sect. 1. cap. 2. num. 1. pag. 2.* insigniores etiam in rebus humanis, ait Tertull. *in lib. de Ieiunio*, & solemniores in orationibus diuinis. quod ibidem confirmat exemplo tum Danielis, qui ter orabat in die; tum Apostolorum, ut de hoc loco citato diximus.

2 Præter eas, quas loco citato attulimus, rationes mysticas de his tribus Horis, possumus addere, quod hora Tertia datus fuit Spiritus sanctus, quem & nos petimus in Hymno ad Tertiam; lex noua data est Apostolis, de qua nos dicimus; *Legem posui mihi Domine*, &c. Hæc Durandus *lib. 5. cap. 6.* Hora Sexta Deus visus est Abraham in Valle Mambre; Ioseph cum suis fratribus pransus est; Ruth Moabitibus excepta est à Booz, cum Samaritana

ritana Christus sermonem habuit. Hæc Anastasius Sinaita *lib. Comm. in Hexaem.* 7. hora Nona Cornelius Angelum vidit, *Act.* 10.

3 Ordo trium Horarum minorum habetur in Rubricis, ille idem qui legitur apud Hugonem *in Spec. Eccles.* cap. 3. in quo ex Amalar. *lib. 4. de Off.* cap. 3. impletur illud Apostoli ad Ephesios: In Psalmis, Hymnis, & Canticis (quæ Cantica exponit ille esse Responsoria breuia) cantantes, &c. Psalmi verò tres, inquit idem, protegunt nos in tribus horis sequentibus: nam quælibet ex his tribus horis tres continet temporis horas, vt patet; imò, vt idem ait *cap. 1. ibidem*, in Prima, Tertia, Sexta & Nona duodecim canimus Psalmos (in Festis) pro numero duodecim Horarum diei, vt Deo præsentem simus omnibus horis.

4 Addit Hugo *loco citato*, in Psalmis opera denotari, quia Psalterium manu sonatur; in Antiphona, quæ est reciproca, charitatem geminam: & coniungitur Psalmis, quia sine charitate nulla sunt & nullius meriti opera nostra. Capitulum autem esse exhortationem boni operis: Responsorium breue nouum opus bonum significare: in Versu ad Deum fructum boni operis contineri. & his positis, Orationis, seu Collectæ in fine rectè concludit Horam.

De Vesperis.

CAP. V.

Vespera à sidere quod Vesper nominatur, & decidente Sole oritur, inquit Isidorus *lib. 1. de Offic.* cap. 20. Sed ex Iansenio *in Concordia* cap. 57. latius

pater vocabulum: significat enim tempus tum ante Solis occasum, vt *Matt.* 14. Vespere facto actum est de fatiandis quinque millibus; tum post occasum Solis, vt *ibidem* additur: Vespere autem facto solus erat ibi. Lucernarium dicebatur à Hieron. *in Epist. ad Latam*; & Lucernaris hora à Cassiano *lib. 3. de Can.* cap. 3. eò quòd dum lucernæ accenderentur, preces vespertinæ persolui solebant, ait Azor. *lib. 10. cap. 2. quest.* 10. Duodecimam appellat Cõcilium Turonense II. *can.* 19. quia vltima diei hora recitabantur. Durandus *de Rit.* *lib. 3. cap. 11.* asserit, Ecclesiam constituisse, vt post Nonam decantarentur, quo plures de populo adesse possent. Puto ergo, quòd tardiùs quàm nunc cantaretur Nona.

2 Certè à primis Vesperis inchoatur Festum. quod fortè à Dauide deduci potest: *Vespere*, inquit, *mane*, & *meridie* narrabo, &c. *Psalm.* 54. docet Amalar. *de Ordine Antiph.* cap. 16. deductum ab Hebraeis, quibus dictum est: *Festa vestra celebrabitur à vespera vsque ad vesperam.* Et verè magnitudo Festi exigit, vt priùs incipiat, hoc est à Vesperis pridianis; & tardiùs terminetur, id est vsque ad Completorium diei Festi, *c.* 2. *de Ferijs in princip.* Radulph. autem *Propos.* 18. assignat huc ritum primarum Vesperarum Dominicis, & quibuscumq; Festis nouem Lectionum.

3 Primæ Vesperæ nobiliores sunt secundis, teste Amalar. *loco cit.* quod & hodie in Cappella Papali obseruatur, quæ non habet secundas Vesperas coram Papa, sed tantùm primas, quia initium Festi reputantur esse.

4 Præter ea quæ dicta sunt de paritate Vesperarum cum Laudibus ca-

H pite

pite 2. num. 5. hæc addi possunt in laudem Vesperarum: nam in Vesperis commemoratur Aduentus Domini vergente mundi vespere, Hugo in *Spec. cap. 3.* tum in Vesperis offerebant Abraham & Patriarchæ Sacrificia, Gemma *lib. 2. cap. 62.* tum commendatur Sacrificium vespertinum à Dauide *Psal. 140.*

5 Ordo in Rubricis nullam habet difficultatem. ad mysteria vocor. Nam quinque Psalmi Vulnera Christi recolenda monent, quorum vltimum Vulnus hora vespertina fuit sacro lateri illatū, & in vespera mundi, Gemma *lib. 2. cap. 62.* Item, quia sicuti quinque sensibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras; ita necesse est, vt initio noctis pro eis veniam precemur, Amalar. *lib. 4. de Offic. cap. 7.* qui & addit *ibidem*, quòd illis necesse est deplorare quinque carnales suos sensus, quibus occidit verus Sol; vt in Matutino, id est in euasione peccatorum, quando Sol eis iterum inchoat oriri, possint latari. Tenemus etiam quinque hos Psalmos quasi lampades virginum quinque, vt veniente nocte Domino obuiam eamus, ait *ibidem de Ord. Antiph. cap. 6.*

6 In Festis Sanctorum ijdem ferè dicuntur Psalmi qui in Dominica: quia sicuti Dominica victoriâ Christi resurgentis repræsentat; ita Psalmi eiusdem victoriam per Christum resonant Electorum Domini, Amal. *lib. 4. cap. 7.*

7 De Capitulo, quod Lectionem vocat Amal. *ibidem*, & post Psalmos collocat: de Hymno, de quo Hugo post Capitulum in *Spec. cap. 3.* (non autem meminit Hymni Amal.) vt scilicet venienti Domino psallentes & iubilantes occurramus, ait Gemma

lib. 2. cap. 62. de Versu, quo conuersi ad Deum cum virginibus quasi ostium pulsamus, Gemma *ibidem*, dicemus fusiùs in seq. Sectione.

8 Canticum *Magnificat* passim vocatur in Ordine Romano Euangelium, quia ita est *Luc. 1.* & cantatur in Vesperis ob multas causas. Primò, quia à Vesperis inchoatur Festum, & hoc Canticum in Euangelio est in ordine primum. Secundò, Vesperæ sunt nobiliores Laudibus & Completorio; quibus idè debetur Canticum nobilius. Tertio, quia sub vesperam beata Virgo peruenit in domum Elisabeth, quam salutauit, & Canticum statim hoc composuit, Benzoni in *Magn. libro 1. c. 20.* Quarto, Amalar. addit *de Ordine Antiphon. cap. 6.* vt Maria cum suo Cantico introducat virgines cum quinque lampadibus, hoc est Psalmis quinque, preparatas ad Christum. Quintò, *ex eodem libro 4. de Offic. cap. 7.* vt castigatis sensibus per quinque Psalmos, castigentur cogitationes cordis tumescentes cum humilitate, de qua in Cantico B. Virginis agitur. Sextò, vt animos fidelium frequentior Dominicæ incarnationis memoria (quotidie namque dicitur) ad affectum deuotionis accendat; & recogitata sapiùs exempla Genitricis illius in virtutum soliditate nos confirmet, & hoc præsertim in Vesperis; vt incumbente quietis temporis inde fatigata ad vnionem se tota considerationis colligat, idem *ibidem*. Septimò, & est Duran. *lib. 5. cap. 9.* *ex Beda*, *Magnificat* cantatur ad Vesperas, quia in ipsa vespera mundi suo assensu beata Virgo mundo succurrit perditò; & ipsa est Vespera Stella maris. Octauò denique, in

sexta laude ex Horis septem conuenit hoc Canticum cantari, in quo Dominus ille uenisse dicitur, qui ad uesperam mundi uenit ad nos in sexta mundi aetate.

9 De Oratione, Precibus, Suffragijs, & sine Uesperarum suis locis in Sectione sequenti.

De Completorio.

CAP. VI.

VOx Completorium reperitur primò in *Regula sancti Benedicti cap. 42.* Completam uocat Isidor. *lib. 1. de Off. cap. 21.* Vel quia in ea completur quotidianus usus cibi, potus & locutionis apud Regulares, ex Amalar. *lib. 4. de Off. cap. 8.* Vel quia in Completorio summa est perfectio diuinorum Officiorum, ex eodem *de Ordine Antiph. c. 7.* Vel quia completur dies seruitutis nostræ, Gemma *lib. 2. cap. 64.* Vel completur totum Officium diuinum, ait Beda in *lib. Medit. passion. Christi cap. 1.* Vel quia ipsamet dies completur ea hora, Archid. in *cap. Solent. de Consecr. Dist. 1.*

2. Eius origo rei desumi potest cum Isidoro loco citato à Dauide, qui *Psalmo 131. Si dederò somnum, ait, oculis meis, donec inueniam locum Domino;* uel à sancto Basilio, qui in *Reg. fusiús disp. Interrog. 37.* meminit *Psalmi Qui habitat,* licet Basilius aliter explicet Francolin. *1. par. cap. 19. initio.* sed Durandus *de Rit. lib. 3. cap. 12.* quem sequuntur Azor. *lib. 10. cap. 2. quest. 11.* & Suar. *lib. 4. de Hor. Can. cap. 5. num. 9.* explicat de Completorio. Colligit Suar. Completorium ex Ambr. *5. Hexaem. cap. 12. & lib. 3. de Virginitatibus* imò ex Cypriano uide-

tur posse colligi *lib. 1. de Oratione,* ubi ait: *Recedente Sole ac discedente necessariò rursus est orandum;* ubi in primo uerbo *recedente Uesperas,* in altero *discedente* notat Suar. Completorium. Verùm ijs primis temporibus rude fuit potius quàm completum Completorium.

3. Additum fuisse Cassiani tempore simul cum Prima, certum est, ut docuimus *suprà cap. 3. huius Sectionis,* ubi etiam cum Prima comparauimus Completorium.

4. Sequitur ex dictis, illud esse recitandum congruentiùs hora duodecima, nimirum quando Christus sepultura fuit traditus, in fine diei Parascues, *Luc. 23.* quod fusè probat Francolin. *1. par. cap. 18.* sed ante diei finem (ut laici quoque interesse queant) statuisse Ecclesiam cantari posse, docet Durand. *loco citato.*

5. Hac autem Hora, inquit Turcremata in *Regula sancti Benedicti Tractatu 107.* ut animalia à pastu reuertì solent; ita spiritus reuocandus est ab externis ad interiora. Item parandus est locus, in quo spiritus cum Deo quiescat; & contra fraudes dæmonum armandi fumus ante noctem, de quorum capite in Lectione breui dicitur: *Quærens quem deuoret.* Addit Hugo in *Spec. cap. 3.* Completorium significare gaudium Electorum, quod, completo eorum numero, complebit Deus in Sanctis suis in die generalis Resurrectionis in fine mundi; & idè in fine diei recitatur.

6. Ordo Completorij per se patet. Lectio breuis ortum habuit à Lectione, ad quam hora Completorij conueniebant, præsertim Monachi, sicut ad eandem diximus post Primam, ex *Regula sancti Benedicti cit. quod*

notat etiam Amalar. *lib. 4. cap. 8. & de Ord. Antiphon. cap. 7.* qui & addit, Lectionem idem præponi, quia, finito Completorio per preces, dormitum statim ibant. Confessio aptè fit, ut quidquid in die commissimus diluamus, Gemma *lib. 2. cap. 64.* & alterna confessione mundemur, ait Hugo in *Specul. cap. 3.* agens de Completorio. De initio proprio Completorij, de quo Hugo, dicemus *Sect. sequenti*, ubi etiam de Hymno, & alijs singillatim, citra mysticam expositionem, quam affero hoc loco.

7 Nam Psalmis quatuor, ait Amalar. *loco citato*, quatuor elementa corporis nostri Domino commendamus. Et quidem in primo Psalmo, qui recitatur in Matutino Sabbati sancti, cum Christo quietem poscimus: *In pace in idipsum, dormiam, & requiescam.* In secundo, ad ea verba quæ protulit Christus in extremo vitæ, *In manus tuas, &c.* optamus mori cum eo. In tertio & quarto contra tentationes nocturnas armamur. fusiùs hæc Amalarius.

8 Hymnus ante Capitulum præter morem dicitur, quia illi, in quibus completa sunt significata præcedentium Laudū, id est electi, præveniunt exhortationem, quam denotat sequens Capitulum, Hugo in *Specul. cap. 3.* Eodem quoque Hymno petimus victoriam de nocturnis illusionibus, Gemma *loco cit.* Capitulum ergo, ex Hugone, exhortationem sonat, qua semper egemus. Responsorio breui quasi signaculo diuinæ custodiæ nos sigillamus, ut pupillam oculi, Gemma *loco citato.*

9 Et quia Completorium est com-

mendatio animæ quasi migrantis à corpore per somnum, idem Canticum Simeonis additur, quod maxime congruit, Amalar. *supra*: quo pacem, & lucem optamus à Deo, Gemma *loco cit.* Precibus complemus, ad humilitatem in fine diei; cum Oratione Dominica & Symbolo fidei, ad munimentum ab hostibus nocturnis, Hugo *ibidem.*

10 Concluditur cum benedictione Prælati: *Benedicat, &c.* quæ valet contra hostes, ait Turrecrem. *loco citato.* & solemnè religione imploratur auxilium B. Virginis contra eosdem nocturnos hostes, idem Turrecrem. Adhuc in fine dicuntur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum secretò; tum quia iisdem ritibus finiendum est totum Officium quibus est inceptum; tum quia in fine mundi tempore Antichristi ora fidelium clauduntur, & secretò Deum orabunt, Durand. *lib. 4. cap. 25.* Radulph. denique notat *Propos. 14.* Completorium esse ferè semper idem, nisi propter tempus aliqua demantur, hoc est preces, in Duplicibus, &c. causam autem attulimus *supra cap. 3. de Prima in fine pag. 56.*

11 Quæres, Quando Completorium dicitur separatim à Vesperis, an præmittenda sit Oratio Dominica cum Salutatione Angelica? Videtur affirmandum, ea ratione qua dicuntur ante Laudes separatas à Matutino, & ante omnes alias Horas. At contraria est praxis in Quadragesima, ut nihil præponatur Lectioni breui; & verè satis est post eam dici Orationem Dominicam.